Tarczewski Ioannis Stanislai: Thaumaturgus sapientiae et virtutis Olympionices ad metam immortalis gloriae decurrens D. Ioannes Cantius.

THAVMATVRGVS
SAPIENTIÆ & VIRTVTIS
OLYMPIONICES
Ad metam immortalis gloriæ decurens.
D. JOANNES CANTIVS
CONFESSOR
REGNI POLONIÆ PATRONVS

Annuo festiuitatis suæ recurrente die

In Ecclesia Collegiata B. M. Virginis Posnaniensi

Jn frequentissima Magnorum Hospitum & Perausti Capituli Posnanień: præsentia

A

M. IOANNE STANISŁAO TARCZEWSKI

Philosophiæ Doct: Pöëseos in Posnaniensi Acad: Professore, Contubernij Szołdrsciani Præfecto.

Cultu Panegyrico
CELEBRATVS.

Anno salutis M. DCXCII. 19. Octobris.

Typis Academiæ Posnanien:

Jn Auitum Insigne
JLLVSTRISSIMÆ DOMûS
RIDZINSCIANÆ
Epigrammatica inscriptio



Candida RIDZINIIS quæ fulgent LILIA Campis
Ver Patriæ referunt, dira nec obstat hyems
Hinc Laurus, hinc serta Sacri nascuntur Honoris
Hinc venit emeritis digna corona genis
Victores redimit, Lechici Proceres Senatûs
Nunc sit Præsuleis prodroma vera Mitris.

Obseruantissimus Nepos
Franciscus in Malczewo Málczewski Poës: in Acad: Posn: Studiosus.

PERILLUSTRI ac REVERENDISSIMO DOMINO

D. JOANNI

Comiti de Wierzbno

RYDZYNSKI

GNESNENSI POSNANIENSI

CANONICO

ARCHIDIACONO SREMENSI

PRÆPOSITO WSCHOVENSI &c.

Patrono singulariter colendissimo.

E*Laboratum gratiarum opus, alto demissum Olympi vertice stupendum in via Olympionicem, fortunatissimum cælesti in Patria comprehensorem Thaumaturgum Nostrum Patriarcham* CANTIUM *Gratiæ Tuæ quæ Nomen Tuum circumstat adiungo. Maxima Literatorum gloria* Perillustris & Reuerendissime Domine. *Non alio quippe poterat procurrere felicius Atleta hic Divinissimus præterquam eò. quò Ciuium salus. Regni securitas Ecclesiæ decora festinant in odorem suauitatis. Volupe illi erit dulces horas consumere nec sciet in delicius habere modum, ubi gratia veris perpetua. Inter amænas horti delicias candentia Lilia elegit (flores namq; hi omnia pura sapiunt) Dilectus* IOANNES. *Impleuit me hercule longè lateq; patentes Poloniæ oras suauissimi Nominis Domûs Tuæ Illustrissimæ odor. Stupet*

Orbis

Orbis ut magni sanguinis; ita decorum Hæredes, augusta meritis in Rempublicam Bello seu pace Trophæa proferentes. Nimirùm perenne in pace decus in Bello præsidium explicantes. Et ut Te quamuis id non ambias & Augustæ Domûs Tuæ molem à basi quâ stetit & sæcula numerat incipiam: Wierzbna primum stirpi huic dedit Comites, qui Nobilissimi sanguinis Tui iecêre fundamenta ut exterorum titulos Polonia quoq; in suis recenseret: nec peregrinæ & alio sole calentes Gentes haberent quo Lechiám superarent. Illustria sanè Comitum de Wierzbna Nomina, Excelsæ Tuæ Propagini dedêre originem, quorum felicitas Paranympham Regibus Poloniarum fortunam exhibere tunc poterat, cum Reginas in vitæ Thoriq; socias ex Hungaria adduceret: adeoq; ipsam Purpuram RYDZYNIO Nomini in Proauis obligatam in Nepotibus Inquilinam agnoscit posteritas. stupendum in Natiuis Tuis LILIIS legent Posteri candorem, mirabuntur Sæcula ubi veneranda Illustrissimæ Domûs Tuæ canities, antiquitatis suæ exagerata deducit iura. Non unum hîc Patria legit Florem in cuius odorem Infulæ & Curules longâ serie velut ex condicto per tot sæculorum interualla currebant auidissimè. Florida quippe Domûs Tuæ gloria est, quam superûm beneuolentia, cæliq; fauor irrigat, quam hostilis cruor alluit Marte RYDZYNIO fusus de ceruicibus barbarorum. Vt marte & Arte, Sago & Toga, Illustre Genus probaretur, ad inuidiam præsentium, admirationem posterorum. Memorant dulci recordatione Annales Sarmatici, & Musa vetat mori dignum laude Virum IOANNEM RYDZYNSKI tam Gratiis quàm victoriis enutritum nomen, cuius immortalis gloria Hoinicienſi marte triumphat, etiam Principum victrix, ubi Principem Zeganensem, heroâ manu prostrauit totq; alios inuicto repressit pectore; ne cara Patriæ suæ viscera, nefario perrumperent ausu; maiora daturus, ni lubrica incertæ sortis alea alternas mutaret vices, victoribus cum Lauru vitam eripiens, animam cum trophæis. Cui magno simul cum Cancellario Regni, totq; aliis summorum Nominibus parentales cupressos feralesq; oleas pulchra pro integritate Patriæ mors erexerat cui nuper triumphator Mars testes fortitudinis Colossos posuerat quibus plus Vltra magnitudinis charactere inscribi poterat ni trabales has gloriæ notas inuida summis fata sanguine proprio deleuissent. Et ANDREAM RYDZYNSKI silentio præterire nefas quem digna fastis facta æternitati commendant quem Palatinatus Posnaniensis capacem illustri genio censuerat ut Vladislai Quarti Regum Optimi Electionem subscripsisset, ut suo tunc liberæ vocis & manûs calculo eo pertineret, quo rara cum citauit virtus, æquissimo meritorum intuitu. Quid memorem innumera alia magnorum Nomina, immensa deducta serie nouam scilicet Iliadem ad nucleum euocaturus si exigua hâc paginâ includerem tot capitum immensitates quæ grandioribus fastis vix queant comprehendi Viuum Auitæ virtutis & gloriæ successorem GABRIELEM RYDZYNSKI Proauum Tuum meritis & gloriâ omnia complexum, & Martio Nomine ac spiritu inclytum vidit & stupuit ántecacta ætas. Celebrat fama animi magnitudinem summorum in Patria honorum capácissimam, quem unum dixisse sufficit LVCAM RYDZYNSKI Pincernam Calissiensem Magnum Parentem Tuum ex omnibus optimum, in quo virtutes simul omnes vigebant quæ singulæ in omnibus prædicantur: cuius immortale decus pretium nomenq; perrenne ipsam immortalitatem vectigálem habet. Reliquit Te suarum virtutum & meritorum Hæredem Perillustris ac Magnifice Domine *CAROLE RYDZYNSKI Pincerna Calissiensis Surrogate Castri Posnaniensis Iudex Te intra Patriam centoculum Argum, extra invictum Achillem, Iuris nodos & ænigmata soluentem Censum, in Themide Tua, Lynceumq; ad quæuis causarum circumspectum momenta miratur & veneratur Orbis Polonus. Est Tibi ALEXANDRO nostro alter Hephæstio similior ALBERTVS RYDZYNSKI, qui Marti iniciatus triumphalibus maiorum suorum vestigiis insistens ad Auita Paternaq; decora ceu Milciadis The-*

mistocles

mistocles Trophæis excitatus contendit Exoticarum Gentium mores & instituta serio perscrutatus. Promicat Magno Parente non minor Filius STANISLAVS RYDZYNSKI *heroica virtute, & illustribus ubiq; manubiis onustus: Ivit cum Christianæ rei statore* Serenissimo ac Invictissimo IOANNE Tertio, *contra Bistonias acies roburq; stupendum Barbarici fastus nullum rectius iter esse ad immortalitatem & gloriæ Capitolium ratus, quam per calcata hostium capita. Enimvero quis Astra Augustæ Domûs Tuæ* Perillustris ac Reverendissime Domine *numerare præsumat? & in computum vocare Heroes extra communem mortalium numerum repositos cum mágnorum nomina & pene Divinitatem gestorum æquâ in maiestate coronare panegyri summis in Regno sapientiæ Phœbi musarumq; sacra colentibus labor est & summi moliminis Argumentum. Vnum ego Te ante alios venerer votorum meorum meta & corona* Perillustris ac Reverendissime Domine *Excelsa Indoles Tua tot fulgentibus Luminibus, quot virtutibus resplendet. Excoluisti ingenium Tuum ad vsus Ecclesiæ maximos exactissime formatū in Lubransciano Athenæo Adhuc in herba fructus virtutum prætulisti in vere autumnasti. Ivisti felici omine magnanimæ Indolis consumatæq; Eruditionis Tuæ ductu ad honorum amplitudinem. Quæsivit in Domo Tua Princeps in Regno Cathedra Gnesnensis Caput, invenit meritissimum, quàm oculatis vigiliis Sacris Lucubrationibus & meritis auxisti Cathedræ Posnaniensis & hæc Tuo gloriatur Nomine cum basilicam mentem Tuam fastigio Canonicatûs coronavit. Sed quasi erubesceret Fortuna capacem summorum animum Tuum non esse maiori honorum auctoramento decoratum meritissimum de Ecclesia Domini Nomen Tuum maiori quia* Archidiaconatûs Sremensis *dignitáte ornavit. Pridem iam merueras natus ad omnia maxima hâc dignitatis gloriâ insigniri; nisi Sacrum pacatæ humilitati pectus hæc vota distulisset ad frequentiorem meritorum apparatum: ut non tàm lectissimæ cleri coronæ, quàm ipsis præfuisset virtutibus, raræ exemplo modestiæ & pietatis; Fortunatum sanè regimen, quod à virtutum exemplo deducitur, non â superbæ voluntatis arbitrio, cui non raro contumax recalcitrat temeritas, fœdo desperationis impulsu potestati Tuæ parendum est, qui tam suavi imperas arte; ut in triumpho ducas vinctam animorum seriem ad amussim gloriæ & virtutis. Brachium Pontificiæ potestatis iure optimo dici meruisti; in cuius Authoritate Tua emineret gloria, felicitas triumpharet, adeoq; ex Avitis Tuis LILIIS pulchrum coalesceret Coronamentum Capiti Sponsæ Christi, Tua manu imponendū. Theatrū Lucis publicæ hîc non ingredior quod Tu amplissimis meritis & virtutum magnitudine in Ecclesiam Dei & Patriam complevisti supremum in Tribunali Regni munus cum ea dignitate, eo cum boni publici studio integritate animi sustinens: Venerabatur multis vicibus Lechicus Orbis solida veri & iusti responsa quæ plusquam de Tripode loqui consuevisti. Sed modicum est quod loqui mutus de Te Augustaq; Domo Tua audet calamus. Quæ ista pagella ut hæc capiat? si tamen Memphim si elinquem indueret Athim officiosa Sepia, ipsa Historialis Clio seræ posteritati annalium ministerio in publicas tabulas referet magnitudinem meritorum maiestatemq; honorum, qui Antiquissimæ Domui Tuæ Cælorum Decreto, Senatûs calculo Principum Regumq; nostrorum prudentiâ cesserunt. Non in Cimmeriis tenebris sepulta dignitatum Augustalia nec Persico obsecta velamento Lechicus Orbis videbit. Quidquid enim maximorum defertur muniorum Poloniæ, nihil non Augustæ Domui Tuæ in cuius immensam immortalitatis gloriam sacræ Antistitum cessêre Tiaræ, Trabeatæ Senatorum delatœ Curules supremæ Generalatûs obtigêre potestates. Incisorum Dapiferorum Pocillatorum Regni oblata munia, veneranda Legatorum obvenêre caducea, Excelsa Iudicum inclinata sunt Tribunalia omnis deniq; honorum Patriæ summma, pleno cursu in Domum hanc Augustam septeno*

plusquam

pulsquam Nili ostio defluxit gloriosè. Alii aureo hamo cum Antonio vel aureo reti funibusq; purpureis cum Nerone Senatorias Purpuras honorumque Augustalia Piscantur: Domus hæc assurgens cum Lechico Alite senio confecto & annis dignitatum fastigia, ipsius duntaxat virtutis & meritorum magnitudinis intuitu ex asse vectigalia agnoscit. Admittes ergo iam Perillustris & Reverendissime Domine. D. *Olympionicem* CANTIVM *apud Te inter candidam & niveam* LILIORVM *Tuorum maiestatem non secus ac in Pæstano viridario hospitari & æternare ambientem. (Quem Nominis Tui observantissimus, pronâ cum veneratione Tibi præsento & dedico)* Opella *hæc cum nihil ex se tanto nomine dignum habeat, ex hoc saltem illibato puræ innocentiæ symbolo* LILIORVM *inquam duplici Ternione commendetur.* Cuius *augustum Nomen ut inter Purpuratos Ecclesiæ proceres celsâ Tiarâ coronatum perennet Divino præsagus Entheo & profunda veneratione summè voveo.*

Perillustris ac Reverendissimæ
Dominationis & Patroni

Deditissimus servus

M. IOANNES STANISLAVS TARCZEWSKI
in Alma Vniversitate Cracoviensi Philosophiæ Doctor, in Posnanien: Acad: Pöés: Professor, Contubernij Szoldrsciani Præfectus.

ORATIO

Nihil adhuc sub sole vidimus, quod usitatis naturæ legibus, obæratam parendi necessitatem, legitimo agnosceret obsequio; & tamen turpi inertis otii opprobrio iaceret implicatum. AA. Nihil quod haud sterili natura partu communi auræ effudit, eo simul corporis vitio laborare permisit, ut hæreat ad maiora prorsus immobile pondus, Tarpeio peruicaciùs Saxo. Feræ ac cætera Orbis terrarum germina, & quidquid vasto complectitur sinu utraq; Arctos, vix promiscuam cum luce hauserunt vitam; eò simul indefesso iter studio inchoarunt, quò generosus eundi ardor ad metam votorum non segnes citauit passus. Ipsa quoq; non mutarûnt hìc Elementa fidem, quæ continuò agitata stimulo ingratas segnescendi abiurant vices, unde graui vitio omninò succumberent. Torpescens aer pestiferâ inquinatur lue, Ignis violento oppressus carcere, perrumpit Acheronta altius eluctando. Etsi Astronomorum subtilissimo annuere placet, Terram ipsam concentrico versari gyro, probabilitatis conuincimur argumento. Aquam etiam graui castigatam vitio Tomitani è voto vatis ni moueatur. Ergo ne quieti placidissimæ in terris hospitari negatum est? Ergo ne feriari non expedit mundo? Ita omninò est: perpetuum hìc Orbis agit Theopompum, Ephorum natura odit, qui calcaribus ad scopum gloriæ urgeretur. Dædaleam innouamus artem, ubi scilicet pedum ratio interdicitur, pennis ad optima enitendum. Olympia quisquis nascitur inchoauit, brauium gloriæ attingit, qui non indecoro passu legitimè certat immortalitatis coronamento decorandus. Ast quis quotusque est qui tàm pulchram gloriæ tereret Appiam? quis Herculeo ausu fragosum virtutis in biuio non formidet iter? Vnum ante alios Te ego vectigali lingua veneror compendiosum tot gratiarum opus Diuinissime Doctor Dive IOANNES CANTI, qui semel fortunata hæc gloriæ & virtutis ingressus Olympia, sacris impressisti vestigiis, quod secutura legeret ætas, posteri mirarentur, Orbis deniq; vix crederet uniuersus, quæ Tu gloriosissimo præstitisti exitu eum Te Terrarum Orbi exhibens, quem præsenti suada venerabor; Thaumaturgum scilicet sapientiæ & virtutis Olympionicem ad metam Immortalis gloriæ eluctatum. Quis ego pro tanto Achille Homerus? Indulge titubanti linguæ gratiam, Candidissime IOANNES, Inspira verba Diuinissime Doctor oro supplex ut exiguis licet tanti nominis laudibus non ingratas commodet aures permittat animos Auditor Humanissimus in cuius cordis sinu per vestigia triumphalis cursus à me deductus conquiescas.

Plurimi decurrendo se se committunt stadio, ne quidquam veriti perfidiam Lesconis cum ferrea semente insidiantis. Spectares eiusmodi qui per plana viarum effusè prouolant, alij per obliqua incitatissimè feruntur non nulli pedibus diffidentes, vel aureo pomo celeritatem Atalantæ distineant, vel instrata clauis Orbitâ palmam primi accursus ferre cum Regum va-

ferrimo molliuntur, pauci vero, & vix annullo Pyrrhi inserendi, qui constanter currant, omnes licet cursum incipiant & auspicato iam passu metiantur. Plurimi in stadio currunt, rarus qui sanctior (Athleta teste Apostolo) brauium accipit: alij ne guttam quidem præmii post Oceanum curarum deprehendunt. Magnum alij iter incipiunt, ubi è vestigio huc atq; illuc defessi titubant, hærent, in plano biuium clamant, & post in præcipitium relabuntur. Vidit & nostra quam viuimus ætas huiusmodi Antagonistas, qui ad Olympicam palmam sine pedibus currunt, filum Ariadnæ in Labyrintho putantes à quibus nec attenditur passus, sed gradus ad palmam. Hyppodromos deniq; ad metam honoris & Nominis spectauit Orbis, verum passibus ambiguis cursum maturantes. Omnes enim possumus habere initia rarus finem qui coronat. Felix qui sic vadit asperâ licet viâ non tamen cespitat in viâ, qui finis eundi multis est jacuisse. Inchoamus facile cursum; sed arduum est stetisse in meta. Dignos Ioue Olympio spectatore Antagonistas mundus tantisper mirabatur, ast ut Palladium cursorem Theodosij; ita Gymnicos Scenicos Megarenses à cursu Diuinioris Athletæ CANTII relegamus. Cursores ut intelligat Orbis multi currunt quidem ritu gregario CANTIVM duntaxat Thaumaturgum Olympionicem mirabili cursu suo unice brauium comprehendisse spectabimus Cuius vitam duris non minus ac illustribus Olympieis exercitam contemplemur. Nascitur ex Deo natus in terris D. Pusio, quem in cælo nasci decuisset, ni eò transferri fuisset gloriosius. Prima eius à summo cælo egressio. Olympo demissus ad Olympia decurrenda. Festo Ioannis Baptistæ nasci sibi contigit die; illo nemo maior surrexit inter natos, hoc nemo gloriosior in Regno sapientiæ. Nomine nec gratiâ dissimilis Baptistæ, uterque Numinis Præcursor, natus ille, iste mortuus, nisi quod illius super montana, huius sub montanis vox diuulgata. Angulus est ubi natus CANTIVS, non alius certe nisi quem Venusinus memorat. *Ille terrarum mihi præter omnes Angulus ridet*, rectissimus me hercule à quo vitæ recta linea pendeat. In abdito natus loco quia latent in abdito quæq; ditissima in concha pretiosus unio, nube velatur Tytan, inter pungentes Spinas Rosa locum delegit. Felix uterus qui expectatissimo partu Ioannem resoluit. Ad Lauacrum Regenerationis Gratia Nomen eius, Agnomen harmonicis modulis Cælum coronauit. Bene est Anna Parens, Genitor Stanislae uterq; Gratiosi. Vt mare nihil est:: nisi aquæ, Cælum nil nisi sydera; sic Proles hæc sacra nihil nisi Gratiæ. Datum hoc non vobis magis Sancti Parentes quam nostræ Felicitati auctoramentum. Crescat ergo cum prole sacra Vestra felicitas, cui si crescentibus diebus nasci placuit perennes illi famulentur horæ. Verum non uni angulo natus, cuius Patria totus mundus. Prima annorum auspicia exorsus nondum satis ablactatus ex angulo in apricum erumpit. Paruos namq; non amat angulos excelsa virtus. Macedo non immemor suæ virtutis ipsas petit noui Orbis oras. Vix enim uno lustro ætatem extenderat CANTIVS noluit otiosis domi votis primos annos terere, exosus domesticis laribus inclusos sardanapalos quorum passus inmolli arena corona etiam non ex Lauru. Exultauit ut Gigas ad currendam viam velociorem annis attollens virtutem. Placuit D. Athletæ primum in illo scientiarum, Augustali & omnigenæ Eruditionis Palladio cælitus delapso Alma Matre Literarum Tyrocinium ponere. Vt sibi in puluere Palladio gloriosius Olympia metiri liceret. O diem majori notandum sydere non gemmâ quo in Almæ gremium Parentis cum Ganimede ad Laureas properasti. Attulisti in Literarum arenam omnis re-

cti

cti & honesti capax ingenium, ex quo sapere ipsa potuisset sapientia. Pronius ingerebant se Diuo Athletæ exercitamenta illa, nimirum fundamentum sapientiæ profunda humilitas, quam Cælum serius amat, accedebat huic virtus Iuvenum & Iuuenta virtutum modestia, Quis fando digne attingat parem ingenio memoriæ amplitudinem, quæ in omnium scientiarum crescebat Amphitheatrum. In primo studiorum cursu nunquam extra virtutis metam D. Olympionices, ut cæteros superaret seipso maior. Scopulos feliciter ubiq; prætervectus, seu per Tullii flumina, seu per Aristotelis Eurippos curreret. Et ut Equi pernicitas alterius pernicitate; sic in Regijs sapientiæ classibus ingeniorum sagacitas excitabatur sagacitate CANTII. Verum longo fatigatum cursu caput repone sub Lauru D. Olympionice iam virtuti Tuæ præmiandæ pandit expeditum ad Laureas iter larga honoris Laureati Dispensatrix Academia. Gradiebaris continuo & ubiq; glorioso passu ad Laureas Tibi transeundum est quas in Philosophica arena ingenuis rigasti sudoribus. Certasti fortiori nisu & passu pro hac corona quam Hercules pro aureis Hesperidum pomis. Verticem sapientiæ attigisti per acuta & abstrusa literati stadii in Eruditionis veræ arcem eluctando brauium cape. Ergo Ternionem coronarum obtulit Academia legitimè certanti victorioso Athletæ: victor namq; est cui herbâ porrigitur, quæ capiti eius insertæ plus honoris acceperunt quam dederunt. Applaudebant Laureæ Tuum ultro ambientes verticem Almæ Matri Academiæ quasi magnam ex Te felicitatem intelligerent, cuius stupendo adminiculo hactenus altius eriguntur quàm olim in Capite Persei stupente Româ pullularînt. Nunc verè sacra Laurus es quæ tempora Diui Athletæ coronasti. Ergo ne distentam vento superbiam peperit Laurea CANTIO? minime AA placet aliis superba Doctoralis fastigij nomina Dædaleis in altum erigere pennis unde fastu & portentoso præsumptionis scientificæ tumentes euentu cristas attollunt. D. Olympionices profundioris viam humilitatis ingressus Laureatus. Supponit alacres operosæ Professioni humeros, in dicit sibi legem laboris gloriosis passibus stadium Philosophicū coronaturus Audiuêre toties sapientum Porticus Doctissimum in Cursu Philosophico Olympionicem in præliatrici Disputationis arena decertantem. Vidit Peripatus & coluit semper triumphantem. Præses Philosophicus factus Decanale induit Paludamentum, documentum terris daturus, glorioso passu certanti, non Coronas tantum; etiam purpuram deberi. Ad pulcherrimum hoc decus non viâ hâc quâ sæpe ac facile itur, sed Gigántheo passu per saxa & rupes laborum processit: gloriosiùs hanc potiorem Romanis Togam non tám murice Tyrio verius labore & sudore tinctam induit & tractauit, quàm suam olim Chlamydem Demosthenes interdumeta difficultatum explicuit. Hanc in offenso Decanalis Honoris Cursu ferendo Dibapham Purpuram non titubauit sub istiusmodi pondere Atlas Magnanimus; Verùm ipsâ officii mole ad maiora excitabatur palam professus est: quod Diua virtus cessare nesciat; imo honore & labore ut flamma ventorum flamine excitata ardua petit. Non recenseo in docendo & argumentando subtilitatem, hæc namq; verbis percurrere quæ in hoc Philosophantis gloriæ stadio D. Olympionices fecerit operosum nimis & magni moliminis est argumentum. Vnum id quod omnium augustissimum est Homeri Iliadem nucleo inclusurus memoro: Publica Doctorum certamina quoties scrutaturus adiit D Olympionices licet tot punctus aculeis in seria Disputantium Crysi non vindicauit iniuriam, nec ad verba aspera etiam ludibrijs vexatus descendit, imo nunquam ad Mysticas aras D. Athleta acce-

cede-

cedebat, ni prius Sacro passu ostiatim Antagonistas deprecaretur. Vnde legendum modestiæ suæ parietibus exhibuit argumentum.

Conturbare caue, non est placare suaue,
Diffamare caue, nam reuocare graue.

O vocem Ioannis auro gemmisque potiorem ipsis æternitatis saxis ad securæ posteritatis eruditionem incidendam. Non humani partus est ingenij sed Cælituum Oraculum. Infelix conturbare felix caue. Alii eluctantur ad sublimia honorum per vastos rerum anhelitus. D. Olympionices dignitates omnes contemptui habuit præter Regale Sacerdotium fastidiendo omnia honorum fastigia, quæ dum ornant onerat. Fallax quippe est, ipsum Regale Dominium, à Fortuna collatum tradit hæc solia ut rapiat ex illis spolia. Parum est, si cum Iulio Cæsare Romanos offerat fasces, statim enim funebrales accendit faces, felicius sacerdotum Regnum, quia plusquam Regale, ad quod CANTIVM mens æterna delegit, virtus albis evexit iugalibus. Non memoro eius ardentes Sacrarum Orationum Eiaculationes, quarum ascensu D. Noster Olympionices ipsum cælum petebat. Ardebat amore Dei sanctior Arsenius, nec Erydano extinguendus. Et ne pluribus laboret Oratio, palam Orbi exhibet dolorosa compatiens dolenti Filio Mater Maria, qui utriusque Passioni ita se conformauerat; ut ne ipsis doloribus à Nouissimo Viro Dolorum Rege pacifico diuelli potuisset. Agebat ad ostium Collegii excubias cum noctis silentium tenerent omnia Diuinior Cherub, ne quid infestum & immane in abdita Musarum Iagelloniarum irreperet aut irrumperet. Contra hanc Portam fulminet Annibal non Punicus sed atrox, minimè præualebit cum ad eam Ianua Cæli patientis Filii gemebunda Parens stat etiam nec post fata CANTII ab illo loco passa separari. Quid memorem ad Ecclesiarum Cathedras Diui Athletæ digressum in quibus Diuini Præco Verbi, melleam Ambrosii suadam aureum os Chrisostomi, Igneum Basilii zelum in se exhibendo, aureis velut Catenis, non aures solum sed animos audientium, Hercule Gallico fellicior attrahebat. Cernuus veneror scripta in Euangelia D. Matthæi volumina in prodigia sæcvlorum itura, quæ quoties legent posteri facile credent diutius CANTIVM scripsisse quàm vixisse. Posuisses metam his Angelicis & Diuinis cogitatis, nisi ad agonem mortalitatis euocatus stetisses in meta. Egerat Officium Ilcussiensis Pastoratûs, plenus vbique DEO, aliud ne quæras metallum Ilcussia quod è diuite munificæ terræ penu emanat, profert Tibi Terra plumbum, CANTIVS diuitiis animosus Tuis aurum, quia Caput eius aurum optimum. Sed ut se verum Olympionicem immensa viarum Olympia decurrentem ostenderet, impigro & alacri animo non aliter ac si cursui natus, celeritate etiam Africano maior, magnum ingreditur iter, Patriam sibi mundum profitetur; ut liceret ampliorem virtuti Campum dare, contendit Romam, cauat validis passibus vestigia, dignam Orbis Prodigio sapientiam transiliens colles septicolli Vrbi ostensurus Patiare D. Olympionice hæc Tibi à me dici Calcaneus iam sanguine manat, vestigio lácero, & vulneribus hiante, obuiám habes immanem Prædonum multitudinem, feris ac serpentibus obsessum iter, Ast inter labores & viarum discrimina versari, Athletæ nostro animi laxamentum, celeritate pernici omnia peruadens asperitatem viæ minimè fastidit. Bene est Diue Olympionice cum ergo iuxta Macedonicum illud Patrius Orbis Te non capit, calentes alio sole terras lustraturus pete, portans Nomen Domini coram Gentibus. Ducat Te feliciter

per

per obſtantes latronum cateruas trita iam trinâ vice viâ indiuiduus itineris comes Sacer Genius: & velut olim Homerici Dij Achillem ſuum cauâ nube ut ſine noxâ verſaretur, inter hoſtium turmas operuêre Te ſuis portet manibus. Abiit ex oculis non animis *viâ lacteâ* in illam lacte & melle manantem beatiorem Regionem ut palmarem in Vaticani culmine circum decurreret, æſtu, ſiti, Inediâ, puluere, ſole, ventorumq; rabie, corpus ſuum macerat, ceſpite duro cubando, capaciori dignam Orbe ſapientiam, quæ intra Orbis Lechæi portionem concludi non poterat potenti Romæ præſentat. Vbi circos & Amphitheatra habuit non meruit dubium inter attonitas illas nationes quibus limacius iudicium eſt fecit, Diuinitatemne eius magis quàm humanitatem mirarentur. Non Peregrina tantum Ingenia, quibus tota in cerebro vis, etiam victricem Romam vicit. Sed Diuiniori afflatus Entheo pergit citato curſu terras, in quibus Aſſertor noſter operatus eſt ſalutem Hominis, ſolymæ, veſtigia Chriſti in lachrymas diffluus irrigat: Quoties ſacro calcaſti paſsu illam patientis Dei arenam, toties nouus Perſeus non florem ſed meſsem coronarum in brauium tuliſti. Sed habet obuiam fraudulentos Leſcones D. Olympionices iter omne acutis hamis innodantes, nimirum excubantes in itinere latrones: iam hi frontem petunt, hi procurrunt in latera, cæteri terga circumuolant.

O Scelus ô veterum Proles Veſana Gigantum
Iam ne iuvat bellare Divis?

Furiæ Erebuſque negarent tantum attrectare nefas, Amalthεæ Penu, Midæ loculos, cornucopias, procul à CANTIO remouit pietas. Ebria humano ſanguine monſtra, curſum mobilis & inquieti Athletæ minimè *hâc* remorâ fremabitis. Illum enim nec Chymæræ ſpiritus igneæ, nec ſi reſurgat centimanus Bryareus divellet unquam à curſu, imo bene eſt ne nimio grauamine oneretur Diuus Olympionices alleuiaſtis. En offert ſponte ſeruatæ auri portionis oblitus metallum humanæ irritamentum malitiæ. Sed ſtupendam agnoſcunt latrones CANTII ſanctitatem, acceptum referunt, anguſta ſaltuum, patentia effuſaque camporum obſtruentes, & inſidiantes, deſerunt, ſcelera ſua confeſſi à CANTIO ſalutem nacti ſunt. Transfer iam Athalantæa velocitate Divinior Hyppomenes curſum Tuum in Patriam, cui mille deſideria Tui reliquiſti, it in Tui venerationem tot itineribus quot amoris paſſibus Craci Vrbs exceptura non indecoro puluere reducem, ſuæq; ſpei gratulatura Te non dubium futuris rebus auſpicem. Excepit non Leonibus Elephantiſq; inuectum, ſed Ciuium votis Patriæ & Vrbi illatum. Quem cum inferentem citatum curſum noſtro ſole calentibus oris, cerno & ſequor, immenſa luculentæ virtutis & prodigiorum lego veſtigia. Primas ſemper habuit inter curas omnibus Pharmaca ſalutis Thaumaturgus morborum Galenus propinare, ærumnis preſſos erigere, concurrebatur ad eum undique & nemo arcebatur, etiam ad mortiferum virus, inſanam Phreneſim, rabioſam Peſtiferæ Erynnis luem celeri paſſu vertebat pedem, adeo ut rurſus corporeos animæ in artus mitterentur. Occurrebat ſæpe vacillantes ad ſe paſſus figentibus medelam & vitam daturus, ſoli duntaxat contumaces ſpiritus ad Orci fauces præcipitati, cum proſtrata inſolentia debachantis in hirundine ſpiritus. Dux Erebi exarſit tum in tumidas iras prælia moturus D: Athletæ furuæque Regna Proſerpinæ contremuerunt. Omnes complexus victorias hic Triumphus in unico Stygis monſtro proſtrato.

ſtrato. Leget poſteritas votiua Vrbis Craci lemmata, fumabat hæc velut Neptunia Troia propriis inuoluenda cineribus cui ſaluandæ CANTIVS perinde atque olim mediis ardentis Troiæ ignibus Penates Deos Reliquias Danaum Anchiſes diuinior præcipiti paſsu & interuentu procurrit, volauit. Loquitur dulci ſuſurro Rudaua prodigioſum Olympionicem miseranti ancillæ ipſá feſtinatione infelici CANTIANÆ ſanctitatis miraculo in lac meriſſimum mutatus. Apello teſtes gelidas niues & rigentem frigore noctem, quá pauper Chriſtus conſtringebatur, ſed exæſtuantis CANTII amore & pallio tectus, ſæuientis brumæ algores propulſauit. Verum porrectam rigenti frigore egeno veſtem, oranti CANTIO Auguſtiſſima Imperatrix MARIA ſacratis manibus citò reddidit donanti. Age Diue Olympionice & in plauſum ſurge triumphalem dum ipſum DEUM vadem an ſponſorem Tuæ munificentiæ, Tuæque charitatis heroicæ habuiſti, nunc hæreditatem poſſides. Enimuero cum vita noſtra nihil aliud ſit quam curſus ad mortem láboramus quidem cuncti ut diu viuamus, currimus tamen ad terminum, nimirum ad unam metam properamus. Olympia vitæ & gloriæ ſacrique honoris, qui egregiè decurrit, ſtelliferum Olympum feliciori decurret calcaneo. Emenſus iam vitæ ſtadium Diuus Olympionices meritis ſatur, æuique plenus, ad beatas æternitatis Empyreas ſedes iuit imo volauit. Bonum certamen certaſti curſum conſumaſti D. Athleta, ingredere lacteam cæli viam, ingredere diu Te præſtolans æternitatis capitolium, appropinquat Tibi corona iuſtitiæ, ſternit iter latè per altos ingreſſuro ſplendores cælum, cuius à ſummo cælo egreſſio. Permiſit morti ut eius clauderet oculos Cracouiæ, quam virtutibus & vitæ miraculis, Palladem Iagellonicam gloriá & eruditione repleuit. Dicam quod ſentio Stanislaum & Annam Parentes natus habuit, eoſdem Cracouiæ renatus ut habuiſſet expediebat. Felix qui ſit curſum ſuum potuit maturare. Quieuit à laboribus CANTIVS. O quies illi dulciſſima mæſta deſertis Funeſta decurrit Olympia, ſed cælum liliato ſubiuit tramite, ſubtractus terris Diuinior Heroſtates ad ampliora in æternitatis curſu ſtadia decurenda. Sed quæ iſta cælorum aduerſum terras inuidia? in rapinam animæ ſanctæ expedita? acerbiſſimum mouiſtis dolorem inuida fata, dum vitales ſpiritus CANTIO præcidiſtis. Aſt moritur ut æternùm viuat. Egit animam CANTIVS, datiq; metas peruenit ad æui, cum Infans Deus Orbi Naſceretur. Ducat Apelles dolor ſplendida virtutis & Sapientiæ CANTIANÆ lineamenta, Lyſſipus celo inſignem vultum figuret, ut in poſthuma imagine æſtimet admireturque poſteritas rectè factorum lineas, & ſanctitatis proportiones. Cum ergo iam Tibi parta quies, omniſq; in limine portus Diue Olympionice volucri Te acclinis gradu proſequor. Impar capiendæ laudum Tuarum magnitudini mea tenuitas tarde gradienti oratione aſſequi Te non poteſt ampliori curioſitate non audet terminos enim non inuenit, ſed Elogiorum Myriades. Imbellis muſa mea vetat ingentia miracula Tua Orationis anguſtijs concludere, ad quorum aſpectum nimirum votiva ad Auguſtos Cineres Tuos miraculis hodie illuſtres Anathemata nictant mortalium palpebræ. Intra inſolitæ admirationis confinia ſtandum mihi eſt. Res poſtulat Dive Olympionice ut armis hoc & Triumphis nobile ſolum, contra quod Bellua Parricidiorum furijs agitata Chriſtianæ rei fax & peſtis compedes reliquo Orbi minitans, tot inquinamenta nationum, Scythicam rabiem uni-

verſamq;

versamq; Thauricam armans hostis Sacra Tua manu conteratur altera Orthodoxus Orbis erigatur, Præstitisti id novo nuper experimento, cum pro Orbe Christiano stetisti in liberata Viennâ plusquam Hector pro nativa Troia vel Annibal pro Carthagine. Servando Regni nostri moderatori IOANNI III. destinârunt Te boni superi, dirige gressus eius, ut fines Imperij extendat, cuius vestigijs nova succrescant Trophæa. Furens deniq; Mars totis in virtute Tua artubus contremiscat. Episcoporum Seminarium Peraugustum Cathedræ Posnaniensis senaculum honorum amplitudine & fortunato in omnibus successu corona. Gaditaneum illi plus Vltra nominis & gloriæ ministrando. Sæculis viuaciorem Generalem Regni nostri Scholam Maiestatis Alumnam Almam meam Matrem triumphali ubique passu procedere fac, ac triumphando perennare. Magni Lubranscii Pinus cuius pulchra coma est, pulchroq; Ordine digestæ frondes fac Dive Olympionice durando sæcula vincat quæ rigante Te virescat. Cuius sub umbra in Palladio pulvere certantes stadiodromos, non stationarios neque retrogrados, sed veros Athletas Orbi & Vrbi huic siste. Nondum in meta positis viatoribus inuiam ad brauium Visionis Beatificæ capessendum monstra viam, unâ mecum, qui Te verbis Oratorios (ut fatear ingenue) transgressis limites Thaumaturgum sapientiæ & virtutis Olympionicem esse.

D I X I.

APPLAVSVS

Nomini Augusto & honori RYDZYNIANO à Musarum Choro institutus.

DVm blanda veris ridet amænitas,
Et terra gratis spirat ethesijs,
Nemusq; frondosæque syluæ
Rore graues referunt capillos.

Comasque crispant, lene virentibus
Nutando sertis. Nonne hilares iuvat
Cantare scenas nonne lætos
Pieria resonare buxo.

Audebo

Audebo plausus? Iam Tua candididis
Se se Ligustris LILIA porrigunt
Tristesque iam candore brumás
Expediunt gelidumque virus.
Quanquám feroces RIDZINIVS nitor
Pridem rigores calcat, amænitas
Hìc sola regnat, solá veris
Grata viget facies decusque.
Non bruma mæstos oggerit impetus
Nec tristis instat cominus exitus
Fatalis Euri, Fama vernat
Perpetuo redimita vere.
RIDZINIANI conscia Nominis
Tantisq; pridem sacra Penatibus
Virtus, & excelsi propago
Auspicii generosus ardor.
Aris, & armis debita veritas
Versando celsas, Iustitiæ vices
Hostes premendo, barbarorum
Et Scythicas geminando clades.
Intaminatis claret honoribus
RIDZINIANI gloria nominis
Togaq; bellaci sagoq;
Purpureis speciosa lustris
Hinc poscit alti fœdera sanguinis
Cognata Magnis fama Penatibus
Sublime Lecheo in Trione
LESCINII CAPVT instat VRI
Insiste magnis gloria passibus
Laurusq; celsæ supposita pedi
RIDZINIANO pande Mitras
Præsuleum geminando munus.

Cecinit

Obsequentissimus Nepos

Adamus in Malczewo Málczewski
Poës: in Acad: Posn: stud.